



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi,  
Explanatio Catechismi Catholici**

**Macherentinus, Johannes**

**Colon., 1612**

Modus piè ad somnum capiendum se comparandi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39397**

Psal. 54.

Vespere itaque, mane, & meridie narra-  
bo, & annuntiabo, & exaudiet vocem  
meam.

Qui literas ignorant, saltem singulis vici-  
bus poterunt dicere ter salutationem Ange-  
licam, supra dictam intentionem implicite  
habentes.

Hoc pietatis exercitium vt facillimum  
est, ita maximam habet, & mouendi, & satisfaciendi efficaciam. Pijs erit valde vtile, pœnitentibus quodammodo necessarium. Op-  
tandum itaque esset, vt minimum domi suæ  
consistentes fideles non mente, tantum sed  
& dolenti corporis compositione assidue se  
exerceant; quod à deuotis, & verè pœniten-  
tibus confessarius, & Catechista non magno  
negotio impetrabit. Equidem etiam in pec-  
catorum sordibus inueterato, exercitatio  
hæc ad expianda vetera, & futura cauenda,  
percommoda fuerit.

## L V I I I.

Q V A R A T I O N E A D S O M N V M  
*capiendum vesperi te comparas?*

**A**Ntequam incumbo, repeto per examen  
diei ne fortè me ex hac vita nocte illa Deus  
euocans, inueniat imparatum. Examen au-  
tèm his quinque punctis complector.

I. Ago

1. Ago Deo gratias pro omnibus beneficijs, potissimum verò illo die acceptis.
2. Efflagito à Deo gratiam, pro vera cognitione & detestatione peccatorum, transactò iam die, commissorum.
3. Exigo à conscientia rationem de admisis præsentis die peccatis cogitatione, verbo, opere & omissione totius diei horas singulas, à mane in vesperum percurrèdo; in quo, vbi maiori discussione opus, vt in peccatis quòrum cõsuetudine laboro, seu ad quæ me procliuiorem agnosco, diligentius insisto.
4. Humiliter peto à Deo veniam admisorum peccatorum.
5. Seriò propono in posterum cum Dei gratia vitæ emendationem. In fine addo. Pater noster. Aue Maria. Qui habitat in adiutorio altissimi, Salve Regina, &c. orationem Dominicam, ad Angelum custodem aliasq; preces, quas suggerit deuotio.

*Oratio cum itur cubitum.*

**T**ibi gratias ago Pater cœlestis per dilectum filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, quod me hoc die; pro tua benignitate, eustodisti: tuam deprecor clementiam, vt condonatis quæ hodie admisi peccatis, me & hac nocte ab omnibus aduersis tuearis, tibi enim commendo corpus & animam meam, & quicquid mihi à  
diui-

diuina maiestate tua datum, in benignitatis tuę manu repono. Angelus tuus sanctus mecum sit, ne quando præualeat aduersum me inimicus, tuaque benedictio me semper custodiat. Per Dominum nostrum, &c.

Examine atque oratione absoluta, aditor animum pia meditatione atque oratione colligere, vito fabulas, cogitationes externas, negotiorum gerendorum sollicitudines, & quicquid coniunctionē, cum Deo impedire solet: ingrediens lectum, obsecro vt Dominus noster dormienti mihi ea nocte adesse dignetur, cum virgine matre, & Angelo custode, & sanctis omnibus, & præcipuè patronis meis singularibus, qui me custodiant & protegant.

D. Chrysoft. sententia est animaduersione dignissima peccatorem, qui somno se committere audet, antequam se Deo reconciliet, maiori se in periculo constituere, quam qui inermis cum hostibus mille armis optime instructis manus conferit.

## L I X.

PERACTO QUOCVNQVE OPERE  
*sic licebit gratias agere.*

**B**enedicta laudabilis & gloriosa beata Trinitas Pater Filius & Spiritus Sanctus, à quo bonum omne: cui pro omni opere laus, honor, gloria, & gratiarum actio debetur.  
Bene-